



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvrghensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Additiones.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13591**

etiam, dehinc liberam habeant potestatem, quicquid eis placuerit faciendi, omnium hominum inquietudine remota. Et, ut hæc nostræ donationis seu confirmationis autoritas stabilis & inconuulsa omni permaneat tempore, hoc præceptum inde conscriptum manu propria corroborantes atque confirmantes, sigilli nostri impressione insigniri iussimus, Anno 1010.

HEINRICVS quartus Imperator confirmat & concedit dicto Monasterio prædium in Otmaringen, in pago Cunzingave, in Comitatu Brunonis Comitis situm, Anno 1064.

SEQUUNTUR ALII BENEFACTORES HUIUS  
MONASTERII.

COMES Adalbertus de Pogen, & vxor ejus Hedvvigis, dederunt prædium huic Monasterio, tempore Mathildis Abbatissæ, Anno 1223.

LVICKHARDIS, nobilis Matrona, vxor Friderici Aduocati Ecclesiæ, materque secundi Aduocati Friderici, dedit quoddam prædium, postea vocat Fridericum Palatinum; nescio an idem, an verò alius.

NOBILIS vir Vdalricus de Winckelfazen, rogatu Dominae Hiltenburgis de Seuenburg & filiorum ejus, delegauit vineam Rinnenpach sitam, cum appendiciis.

VLRICVS de Stain, Nobilis vir, vxor ejus Benedicta, filius Albertus, ipsa dedit prædium, quod dicitur Pesenpach, pro remedio animæ suæ, & mariti sui

GEHARDVS de Stain dedit prædium pro præbenda trium sororum suarum.

SALOME Abbatissa sequitur superiores juxta Catalogum Abbatissarum.

SEQUITUR deinde in libro illo traditionum Annus 1223. sed huic non est fidendum, quia multò post sequuntur res quædam Annorum 1110. tempore Hadamuthæ Abbatissæ.

ADALPRECHT, Vdalricus, Wernherus de Laber,  
WERNHER de Giebestorf, fortè nunc Giestorf,  
GOTFRID de Raitenpuech,  
GOTBOLDVS de Osterhouen,  
NOBILIS Matrona de Künigefovve,  
OTTO major Palatinus, fuit Aduocatus illius Ecclesiæ,  
Anno 1177.  
POSTEA Ludouicus Dux fuit Aduocatus, &c. ut supra.

ADDITIONES.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen. Ego Chunradus Dei gratia Ratisbonens. Ecclesiæ Episcopus, omnibus in perpetuum. Licet sæpius inter Dominam Abbatissam & Conuentum superioris Monasterij, ex vna parte, & ex altera inter Abbatem & Conuentum S. Iacobi amicabilem intercesserit compositio, super electione ac institutione prioris S. Petri, & aliis juribus, quæ in eodem Prioratu, & eius pertinentiis vterque prædictorum Conuentuum superioris Monasterij & S. Iacobi se contendebat habere. Tamen nunc nostris temporibus occasione cuiusdam areæ in qua Landgrafius quondam domicilium ædificauerat, resuscitatae fuerunt lites super eisdem. Nos itaque pro commoditate Ecclesiarum earundem, & ut graues expensas & labores grauiores vitarent, iterum ad amicabilem eos induximus compositionem, instaurare cupientes, & magis exprimere, si qua vel omissa, vel minus in prioribus compositionibus expressa fuerant super eisdem. Cuius formam compositionis, sicut eam de consilio fra-

trum nostrorum, de bona voluntate partium ordinauimus, sic ab eis confirmatam & approbatam, praesenti pagina declaramus, praesentium & futurorum eam memoriae commendantes, quae talis est. Quando Prioratus S. Petri vacabit Priore, Abbatissae superioris Monasterij veniens ad Abbatem & Conuentum Scotorum S. Jacobi, & Deum praecipue oculis habens, petat aliquem Scotum de praedicto Conuentu, vel de fratribus S. Petri idoneum sibi dari Priorem; & si bonus & idoneus est quem postulauerit, dandus erit in Priorem Ecclesiae praenominatae. Si vero Abbas & Conuentus S. Jacobi, vel maior & sanior pars eisdem, bona fide, ac sana secundum Deum conscientia, & in salute animarum suarum, meliorem & vtiliorem inter se poterunt Abbatissae demonstrare, hunc sibi, si praesens est, vel absentem denominatum, a primo recedens Abbatissa postulet, recepturum primo de manibus eisdem temporalia tantum, quae ex beneficio superioris monasterij ad Prioratum S. Petri noscuntur prouenisse; quibus receptis Abbas solenniter ipsum inuestiat spiritualibus, & iura Prioratus: ut ex his ad ipsum Abbatem principaliter, salvo jure nostro respectus habeatur. Aream quoque, quam olim habuisse de Landgrafio juxta Ecclesiam S. Petri, eadem Ecclesia ad usus suos quoscumque, siue edificando, siue plantando, siue colendo, vel alio modo ex ea consequi poterit, perpetualiter habeat ad censum 40 denariorum annuatim in vigilia vel in die S. Emmerami, Abbatissae, vel Conuentus sub poena & lege consuetudinis Ciuitatis Ratisbonensium perfoluendum: ita tamen quod nec Abbatissae, neutrique conuentui liceat aream praedictam aliquo titulo alienare a sua Ecclesia, nec censum alicui personae singulari constituere, vel obligare, vel vendere, vel infeudare: quoniam si hoc contingeret, grauen Ecclesiae posset oriri, & ista compositio perturbari. Statuimus adhuc quod si forte aliquis litem mouerit praedictis fratribus Scotis super eadem area, aut eam indebitè usurpanti contenderit Abbatissa, quae tunc pro tempore fuerit, cum ipsis & pro ipsis principaliter in iudicio defendendose inquietationi eorum opponat quantum possit, sicut pro ceteris articulis eiusdem Ecclesiae Monasterij superioris. Huius rei testes sunt Clerici, Magister Robertus Scholasticus, Berenhardus de Iudenburg Archidiaconus, Vricus Custos, & Vicedominus de Salab. Fridericus major plebanus, Magister Hermannus. Chunradus Mezinger plebanus de Pargfeten, Eberhardus Notarius noster. Laici: Chunradus de Gebelicoen, Chunradus de Salab dictus Pulter, Henricus apud Capellam, Lipmannus Hofmeister, Cumpertus & Hartuicus officiales superioris monasterij, Bertholdus Homullus, Hainricus Claudus Ecclesiasticus S. Petri ad Scotos, & alij quam plures. Hanc quoque compositionem de consensu partium omnium sigillauimus. Acta sunt haec anno Domini M. CC. XVI. Indict. IV. Datum Ratisbonae III. Idus Octobr. Episcopatus nostri anno tertio decimo.

Adfert Dn. Hundius retractationem seu reuocatoriam sententiam donationis monasteriorum superioris & inferioris Ratisbonae, per Imp. Fridericum a se Episcopo Chunrado factam. Donatio vero ista qualis fuerit, ex sequenti diplomate lector cognoscat. In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis, Amen. Fridericus secundus Dei gratia Rex Romanorum, & Siciliae semper Augustus omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Cum ex debito maiestatis nostrae regiae dilectos fideles nostros Principes beneuolentia, quae admodum ipsi nos fidelitate, pie respicere teneamur, dignum aduertimus, ut rationabilibus eorum petitionibus annuamus, & profectibus maxime in causis, quae ad honorem & profectum tam Imperio quam ipsis videntur petentibus prouenire. Igitur cum Ecclesia Ratisbonensis habuisset villas quasdam propius Nordelingam & Orngorve, vsibus Imperij commodas; Et Imperium habuisset Ratisbonae duo Monasteria, inferius scilicet

\* dinofca  
tur

scilicet & *superius*, Claustra sanctimonialium, vsibus similiter Ecclesie *Ratisponens.* commoda; Considerata fidelitate ac deuotione, que Ecclesia *Ratisponens.* progenitoribus nostris felicitis memorie, auo, patri ac patruo nostro, in Imperio frequenter exhibuit, consideratis quoque laboribus & grauibus expensis, quas electæ prædictorum monasteriorum fecerunt hætenus propter Imperium pro iure ipsarum suscipiendo: considerato & præcipue commodo imperij, cui tenemur intendere; consilio qui præsentibus erant, & Curie nostræ de prædictis ciuitate *Nordelinga* & villa *Oringouue* cum præpositura eiusdem loci, & de prætaxatis monasteriis cum venerabili *Ratisponen.* Episcopo *Conrado* dilecto consanguineo nostro, fecimus permutationem & concambium. Ipse enim Episcopus Ciuitatem *Nordelingen*, *Orgauu* cum Præpositura eiusdem loci, & aduocata vtriusque, cum omni iure proprietatis, sicut Ecclesie suæ attinuerunt, imperio donauit. Et nos è conuerso illa duo Cœnobia *Ratispona*, *inferius* Monasterium & *superius* Monasterium donauimus Ecclesie *Ratisponen.* cum proprietate, & aduocata, & omnibus attinentiis, & cum omni iure, quod Imperium in eis habuit, vt vacantibus Abbatibus in prædictis monasteriis, electæ ipsarum temporalia & omnia iura alia, quæ hætenus requisierunt ab imperio, deinceps perpetuò requirant ab Ecclesia *Ratisbonen.* Et Episcopus ejusdem Ecclesie, quicumque tunc fuerit pro tempore, illa donet & conferat sine impedimento. Vt autem hæc nostra permutatio & concambium rata permancant in perpetuum, & deinceps nec per obliuionem, nec per calumniam cuiusquam cedere possint in irritum, præsentem paginam sigillo nostræ maiestatis & subnotatione testium fecimus roborari. Testes hi sunt: *Conradus Metensis* & *Spirensis* Episcopus, Imperialis aulæ Cancellarius. *Otto* Dux *Merania*, *Conradus* Burggrauus de *Nurenberg*, *Poppo* Comes de *Hennenberch*, Comes *Albertus* de *Ebersteine*, Marchio de *Baden*, *Gebhardus* Landgrauus de *Luickenberge*, *Henricus* de *Nyssen*, *Wernherus* de *Laber*, *Anshelmus* Marscalcus de *Iustingen*, aduocatus de *Rappertswyler*, *Wolframus* & *Conradus* fratres de *Franchesperch*, *Albertus Rindesmoul*, *Sibotus* de *Thanhusen*, *Chunradus* de *Werde*, & alij quàm plures. Signum Domini *Friderici Romanorum* Regis inuictissimi secundi & Regis *Sicilie*. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis M. CC. XV. Indiæ. IV. Data apud *Egram* per manus *Chunradi Metensis* & *Spirensis* Episcopi, Imperialis aulæ Cancellarij XI. Calend. Ianuar.

## Catalogus Abbatissarum Monasterij superioris Ratisbonæ.

**A** Tempore foundationis, hoc est, ab Anno Dn. D. CCC. XCVI. per Reginam *Hemmam* factæ, vsq; ad an. Dn. M. CC. XCII. hætenus nil certi habere licuit.

SEQUUNTUR ABBATISSÆ, A PRÆMEMORATO ANNO  
M. CC. XCII. vsq; ad nostra tempora.

RYTZA à *Leichtenberg*. an. 1292.

RYTZA à *Dornberg*. an. 1299.

BERTA *Walterin*. Ob. in festo D. *Bartholomæi*. an. 1324. vt patet ex Epitaphio.

AGNES de *Munzbach*. an. 1374.

MARGARETHA *Sattelbogerin*. an. 1435.

BARBARA de *Absperg* an. 1456.

KVNEGVNDIS ab *Egloffstein*. an. 1479.

SIBYLLA de *Paulsdorff*. an. 1500.

ELISABETHA de *Parberg*.

ELISABETHA de *Murach*.

AGNES de *Paulstorf*.

*Metrop. Salisb. Tom. III.*

Communio  
cauit mon-  
derna Dn.  
Abbatissa.

ADELHEYDIS ab *Aerenbach*.  
 EYPHEMIA, Com. de *Helffenstein*.  
 CATHARINA de *Murach*.  
 MÆCHTHILDIS.  
 HETTWIGIS.  
 IRMGARDIS.  
 SALOME.  
 WILTBVRGIS de *Leichtenberg*.  
 MARGARETHA *Mufflin*.  
 CATHARINA de *Redvitz*, an. 1533.  
 WANDVLA à *Schaumberg*, an. 1542.  
 BARBARA de *Sandzell* an. 1564.  
 BARBARA *Ratsin*, an. 1579.  
 MAGDALENA à *Gleiffental*, an. 1594.  
 CATHARINA PRAXEDIS à *Perckhausen* electa & confirmata an. 1608.  
 feliciter præst.

## OSTERHOVEN.

DE fundatione huius Monasterij registratura diplomatum ita se habet: Imperatore tertio Ottono rebus humanis exempto, Henricus Dux Bauaria, qui vocatus est junior, in Imperium subrogatur & huic in Bauaria Ducatu succedit Henricus, qui & Hezel dictus, patruelis ejusdem Imp. sed in hoc erratum est; Nam fuit frater S. Kunigundis, secundum Auentin. & alios. Hic duobus filiis orbatus, quos Hunni peremerunt, Christum heredem sibi facere instituens, Anno 1002. locum Osterhouen fundare, & patrimonij sui copiosa liberalitate magnificare adorsus est, sub Benedicto nono, summo Pontifice, sed præmatura morte præuentus, institutionis & propositi sibi heredem prædictum Henricum Imperatorem reliquit. Hic, quoniam & ipse non haberet liberos, continentem vitam, cum vxore sua Kunegunda ducenda Bambergensem Episcopatum fundauit, & Osterhouen Monasterium, cum omni prædicti Ducis patrimonio Episcopatu subiecit, donauit, & tuendum Imperiali autoritate commisit, secularesque Canonicos in prædicto loco ordinauit, constituta eis præbenda de modica portione prædictarum possessionum, quæ institutio penè per centum annos, vsque ad sanctum Ottonem, Episcopum Bambergensem permansit. Hic consilio D. Norberti Maidenburgens. Archiepiscopi, magnæ sanctitatis viri, Regularibus Canonicis locum Osterhouensem mancipans, Præmonstratensem ordinem, qui per prædictum Archiepiscopum initium habuerat, deuotè induxit, sub Anno 1138. præsidente Romanæ Ecclesiæ Honorio secundo Papa, regnante Rom. Imperatore Lothario secundo. Eandem etiam regulam prædictus Episcopus, sicut à Regali munificencia prædicti Henrici Imperatoris suam Ecclesiam tuendam receperat, studiosissimè defensauit, & eam cum omnibus suis possessionibus & familia, ab omni exactione & angaria in perpetuum à suis successoribus, & ad ipsos jure feudali pertinentibus voluit esse liberam, & indemnem conseruari.

*Idem A.  
 ment. fol.  
 622. 631.*

SED Ioan. Auentin. in Annalib. fol. 514. aliter scribit, nimirum Ducem Vitilonem in Osterhouen, vbi olim Regia aula & sedes Principum fuit, Monasterium fundasse, & ord. D. Benedicti instituisse, vbi ipse vnà cum coniuge Hiltrude sub duobus albis lapidibus marmoreis, qui adhuc hodie ibi in Choro videntur, sepultus est, Anno 765, deuastatum esse postea per Vgros, Henricum verò huius nominis quartum, Ducem Bauariæ, fratrem S. Kunegundis, Henrici S. Im.